ANTONII STÖRCK,

SAC. CÆS. REG. APOST. MAJ. CONSILIARII AULICI, ARCHIATRI, IN NOSOCOMIO CIVICO PAZMARIANO PHYSICI, SOCIET. BOTAN. FLORENT., ACADEM. SCIENT. SIEN., ACADEM. PRINCIP. HASS. &c. MEMBRI, INCLYT. FACULT. MED. DECANI EMERITI, ET HOC TEMPORE IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VIENNENSI RECTORIS,

LIBELLUS,

QUO DEMONSTRATUR:

HERBAM, VETERIBUS DICTAM

FLAMMULAM JOVIS,

POSSE TUTO ET MAGNA CUM UTILITATE EXHIBERI ÆGROTANTIBUS.



VIENNÆ,

TYPIS JO. THOM. NOB. DE TRATTNERN, SAC. CÆS. REG. AUL. TYPOGR. ET BIBLIOP.

1769.

PRAEFATIO.

Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Eccleſ. cap. XXXVIII.

MOnet nos Medicos *ſacra ſcriptura*, ut prudentes ſimus, & iis absque horrore utamur, quæ in ſalutem ægrotantium creavit *Deus.*

Nam quæ *Ille* fecit, omnia bona ſunt, & in ſuos uſus deſtinata, & dixit *Deus:* Geneſ. cap. I. *Ecce! dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam.*

Nulla igitur herba creata eſt, ut humano generi perniciem adferret; & ſoli noſtræ ignorantiæ vel caſui fortuito videtur attribuendum, dum ex ea aſſumta,

 quid

quid mali evenit. Etenim, ſi debito tempore, recta methodo, & juſta doſi exhibeatur, nunquam poterit nocere.

Sunt multi, qui in abſtractiſſimis proceſſibus chemicis quærunt ex metallis medicamenta, & negligunt ea, quæ tellus largiter offert, quæ natura provida ſponte paravit, & quæ corpori noſtro ſunt longe magis analoga.

Quam felices forent ægri! qui nunc fatis ſuis & calamitatibus miſerrimis ſine omni auxilio relinquuntur, ſi ſtudium medicum majori cum fervore ad indagandas plantarum virtutes impenderetur.

Nimium ſumus timiduli in exhibendis remediis efficacioribus.

Cur non liceret maniacorum & epilepticorum corpora fortius aggredi, & turbare naturam male operantem?

Cur podagricis nulla eſſet medella?

Cur nullum inveniretur remedium, quod calculum ſolveret?

Cur in regno vegetabili nullum daretur antidotum luis venereæ? variolarum? vel miaſmatis cujuscunque contagioſi?

Cur nulla ſpes eſſet curandi phthiſicos, aliosque ægros, quos plerumque inter incurabiles reponimus?

An non is de patria & toto genere humano plurimum mereretur, qui contra hos morbos maxime rebelles novum detegit medicamentum?

In hoc opuſculo recenſentur experimenta, quæ ego cum herba, dicta veteribus *Flammula jovis*, inſtitui.

Æſtate præterita, dum ſubinde aliquot horulas a labore liberas habuiſſem, plantas minus uſitatas conquiſivi; me tunc comitabatur *Joannes Jacobus Well*, ad urſum nigrum pharmacopæus viennenſis, quem ob ſingularem, tam in chemicis, quam botanicis, ſcientiam multum veneror.

Invenimus *Flammulam jovis*, herbam pulcherrimam, & copioſe creſcentem, quæ ob acrimoniam ſuam & vim urentem ad

usus medicos non adhibebatur, & horrebant eam omnes.

Verum tamen huic plantæ magnam virtutem & utilitatem inesse arbitror; & constabit ex sequentibus: eam tuto & maximo cum emolumento posse exhiberi ægris, quos alia remedia non juvant.

Nosocomium *S. Marci*, in quo ægri detinentur, qui morbis, curatu difficillimis laborant, mihi pro his experimentis amplissimum campum præbuit.

Doctissimus ac expertissimus Dominus *Xaverius Fauken*, Physicus in eodem nosocomio, & dexterrimus ibidem chirurgus Dominus *Antonius Rechberger* ad bonum ex hac planta successum solita diligentia & peritia multum contulerunt; & gaudebant mecum semper, dum effectus adeo bonos, quos antea sperare non licuit, viderunt.

Junxi simul quædam experimenta de *Dictamno albo*.

CA-



CAPUT I.

DE

FLAMMULA JOVIS.

Flammula jovis offic. veterum.
Clematis erecta Linn. ſyſt. nat. t. 2. pag. 377. edit. 12.
Clematis Recta Jacquin enum. ſtirp. vindob. pag. 95.
Flammula recta Bauh. pin. 300.
Flammula Cluſii pag. 124.

Germanis dicitur aufrechte brennende Waldrebe. *Anglis* Urpright ladies Bower. *Gallis* Flammule. *Bat.* Recht obſtaande flammula, wit Vier-Kruid.

PLANTÆ DESCRIPTIO.



E radice multiplici, ramoſa, perenni *caulis* exſurgit firmus, rectus, ſæpe rubeſcens, trium quatuorve pedum altus, ima parte nonnunquam ramoſus, ramis op-

poſitis, divergentibus. *Folia* & ramos (dum adſunt) & reliquum caulem ornant majuſcula, oppoſita, pinnata, quorum rachis utrinque veſtitur *foliolis* plus minus duobus cum impari, ovato-lanceolatis, integerrimis, petiolatis, facie ſaturate virentibus, dorſo parumper pallidioribus, ſapore acri, urente donatis. *Flores* ad caulis faſtigium emergunt plurimi, odorati, pedunculis inferioribus ſimplicibus, axillaribus, oppoſitis, ſummis plerumque trifidis, elongatis ſuffulti, *calyce* deſtituti, gaudentes *corolla* frequentiſſime tetrapetala, raro pentapetala, e *petalis* albidis, oblongis, laxis. *Stamina* prodeunt plurima, *filamentis* erectis, ſubulatis, corolla brevioribus, *antheris* filamentorum lateri ad apicem adnatis. *Germina* meditullium floris occupant numeroſa, deſinentia in *ſtylos* ſubulatos, ſtaminibus vix non longiores, abeuntia dein in *ſemina* plura, ſubrotunda, parum compreſſa, plumula terminata. *Joan. Jac. Well.*

Cre-

Creſcit hæc planta in ſylvaticis Auſtriæ inferioris copioſiſſime, præſertim inter dumeta.

Folia recentia guſtata magnum ardorem excitant in lingua & faucibus, diutius ſupra linguam relicta rabefaciunt, veſiculas trahunt, partes exulcerant.

Folia ſicca ſaporem habent ex acido-ſubdulcem, leniter adſtringentem, parum urentem.

Flores maſticati ardorem in lingua & partibus vicinis diu perſiſtentem producunt

Ex foliis ſiccis paratur infuſum.

℞. fol. flamm. jovis dr. ji.
conſciſs. infund. ſ. q. aq. ferv. vaſe
clauſo per $\frac{1}{4}$ horæ
ſub finem per momentum ebull.
dein colat. lib. j.
exhibe.

Senſim poteſt hoc infuſum fortius reddi, ſumendo foliorum
dr. iij vel unc. ß.

Flores infunduntur ſequenti methodo:

℞. flor. flammul. jovis. dr. j.
infund. ſ. q. aq. ferv. per $\frac{1}{8}$ hor.
dein colat. lib. j. exhibe.

Si e floribus addatur dupla vel tripla copia, fit infuſum ſaturatnm, quod leviter urit linguam & fauces, nec tamen ingratum eſt; præſertim ſi ſaccharo vel ſyrupo quodam edulcoretur.

Ex his infuſis ſumitur bis, ter, vel quater per diem vaſculum unum, unciarum quatuor.

Ex herba recenti paratur extractum, cujus per diem granum unum, duo vel tria &c. poſſunt exhiberi.

Inde conficitur pulvis.

℞. ſacch. alb. dr. j
extract. *flammul. jovis* gr. iij.

m. f. pulvis diu terendo in mortario marmoreo, qui dividatur in ſex doſes æquales.

ſ. ſumat æger ter de die unum pulverem.

Dum

Dum folia in pulverem contenduntur, caveri debet, ne nares nimium inde afficiantur, nam is in naribus, faucibus & pectore ardorem excitat.

Datur tamen idem pulvis tuto interne; teritur cum dupla facchari quantitate.

℞. pulv. fol. *flammul. jov.* gr. iij.
facch. alb. gr. vj.
m. & tere aliquamdiu invicem in mortario marmoreo.

Sumunt ægri bis vel ter fpatio 24 horarum fimilem pulverem.

Auxi fenfim dofim pulveris fol. *flammulæ jovis*, donec ægri ter quotidie fumfiffent grana decem, nec ullum ab eo incommodum perceperunt.

Cani parvo ingeffi unica dofi drachmam integram hujus pulveris, quo facto canis ultra horam dormivit, dein alvum dimifit liquidam cum urina copiofiffima; poftea alacris fuit, fanus, & oblata devoravit.

Avis

Avis tenerrima excrefcentiam fungofam exulceratam habuit in vertice capitis, quæ fabæ mediocri magnitudine erat æqualis, infperfi huic pulverem de *flammula jovis*, & intra unum & dimidium diem confumta fuit tota excrefcentia; nec avicula inde pati videbatur, non cecinit; comedit.

Porcus annuus ab octiduo ægrotavit, oblata refpuit, continuo agitavit caput, illudque contra muros allifit, & diu noctuque clamavit.

Bubulcus jam in eo varia tentavit remedia, & dixit, quod plures hoc morbo laborantes porcos viderit, qui omnes interierunt, ajebat: huic porco liquefcere & diffluere cerebrum.

Vi tunc folia *flammulæ jovis* recentia tredecim curavi ingeri huic porco tempore vefpertino, & totidem altero mane; nil autem mutatum fuit.

Dedi dein ter de die folia recentia viginti, & fpatio trium Dierum porcus integre convaluit.

Cœ-

Cœpit in principio fieri tranquillior, dein potum amavit;

Tandem oblata avide abligurivit.

Vidi hunc porcum poſt aliquot ſeptimanas ſanum, & pinguem.

CASUS I.

Fœmina, 57 annorum; ulcus venereum, carioſum in palato habuit, & præterea pertinaci ac graviſſimo capitis dolore laboravit.

Sumto ſpiritu frumenti cum mercurio ſublimato pars oſſis carioſa ſeparata fuit, & ulcus coaluit; verum dolor capitis manſit æque vehemens, nec ulli remedio, etiam fortiſſimo & diu continuato, ceſſit.

Die 16 Jul. 1768 cœpit uti infuſo herbæ *flammulæ jovis*, & ter de die ſumſit vaſculum unciarum quatuor.

Per triduum nulla mutatio contigit, niſi quod urinæ fluxus paulo copioſior obſervaretur.

Die

Die 19 Julii dolor capitis fuit valde exiguus, noctu autem iterum rediit æque molestus.

Die 21 Jul. dolor omnis cessavit, somnus tota nocte fuit tranquillus, & reficiens, qui antea nec larga opii dosi conciliari potuit; percipiebatur autem tunc sudor multus in toto corpore; ægra erat plena gaudio, quoniam se sensit a tanto malo liberam, quo jam a tot mensium spatio misere diu noctuque torquebatur.

CASUS II.

Fœminæ, 30 annorum, idem infusum in pertinacissima cephalæa profuit. Ex usu hujus remedii noctu ægra copiose sudavit, unde levamen habuit.

CASUS III.

Vir, 34 annorum, cancro pessimo, exulcerato, fungoso laboravit in labio oris superiore; moles cancri erat ingens, & fœdissima aspectu.

Jam

Jam ultra anni ſpatium varia & optima remedia fuerunt tentata, quæ quidem ſubinde levamen adtulerunt, ſed moles cancri nunquam diminuta fuit, imo malum ſenſim extendebatur; nec ulla curationis ſpes ſupererat.

Et ideo experiri voluimus, quid *flammula jovis* præſtaret; datum eſt interne hujus plantæ infuſum, & externe bis quotidie conſpergebatur cancer totus pulvere ejusdem plantæ.

Primis diebus multus inde dolor oriebatur, & copioſus ichor effluxit; dein vero ſenſim moles tota cancri conſumta fuit, & inducebatur ſolo hujus remedio interno & externo uſu cicatrix firma & æqualis.

CASUS IV.

Vir, 30 aliquot annorum, ex malo venereo neglecto in tota facie, in omnibus artubus & integro corpore peſſimis ulceribus ichoroſis, ſerpentibus, fœti-

di-

diſſimis afficiebatur, labium oris inferius erat turgidum, profunde exulceratum, cancroſum, oculi erant inflammati, protuberantes, opaci, palpebræ profunde eroſæ, acerrimum ſerum ſtillantes, præterea putrida, tenuis, & acerrima ſaliva continuo ex ore profluxit; nemo hunc miſerum ſine horrore aſpicere potuit.

Per binos fere annos ipſi in noſocomio omnis generis remedia interna & externa fuerunt applicata, & cum a nullo bonus & conſtans effectus obſervaretur, miſer adnumerabatur iis, qui curari non poſſent.

Verum tamen cum jam in aliquibus egregiam herbæ *flammulæ jovis* efficaciam vidiſſemus, eam quoque in hoc miſerrimo ægro tentandam credidimus.

Die 16 Iul. 1768 cæpit uti infuſo hujus herbæ, ad cancrum labii, & ad reliqua corporis ulcera, ubi caro erat luxurians, & labia colloſa pulvis bis quotidie adſpergebatur; reliqua ulcera, non profunda, ſed fœtido ichore manantia,

ali-

aliquoties per diem infuſo eodem abluebantur.

Die 20 Jul. urina copioſius fluit, & ſaliva, ex ore ſtillans, nec amplius adeo acris, nec fœtida, nec adeo tenuis videtur, ſed jam fila format, ulcera ſunt melioris indolis, & vires paululum inſurgunt.

Die 24 Jul. cancer in labio oris non amplius ſerpit, caro luxurians in omnibus ulceribus conſumitur abſque dolore, ulcera ſunt magis pura, vires meliores.

Die 28 Jul. ſalivatio penitus ceſſavit, urinæ fluxus ſat copioſus continuat, calloſa cancri labia liqueſcunt; quædam ulcera formant cicatrices, vires augentur, æger ſedet libere in lecto, ſe ſe erigit ſine adminiculo, & bono cum appetitu oblatos cibos comedit.

Die 1 Auguſt. vires jam ſunt tantæ, ut e lecto poſſit ſurgere, & alterius adminiculo lente ambulare, multa ulcera cicatrice obducta ſunt, caro luxurians

fere ubique integre consumitur; labia callosa cancri penitus evanuerunt, & jam in circumferentia videntur cicatricis primordia, palpebræ oculorum incipiunt sanari, ipsa rubedo oculorum multum diminuta est, & oritur manifesta pelluciditas.

In principio mensis septembris usu continuato ejusdem remedii cancer labii oris erat integre curatus, & fere omnia ulcera in toto corpore perfecte coaluerunt, ophthalmia penitus cessavit, & observabatur in oculorum tunicis pelluciditas naturalis, vires, & appetitus constabant, noctes erant tranquillæ, reficientes.

Die 24 Septembr. erumpunt pustulæ scabiosæ in toto corpore, & in inguine sinistro apparet bubo magnus, durus; ad hunc illico remedia emollientia, & suppuratoria applicantur, interne autem præter infusum *flammulæ jovis* nil datum fuit.

Verum bubo nullo modo potuit ad suppurationem redigi, & sensim iterum disparuit, & ipsæ quoque scabiosæ pu-

stu-

ſtulæ exſiccatæ ſunt, datum tunc fuit omni tertio die (præter infuſum *flammulæ jovis*) purgans ſatis forte, & æger bene habuit.

CASUS V.

Vir, 40 annorum, ex gonorrhæa venerea male curata incidit in luem veneream, & orta ſunt in toto corpore ulcera fœdiſſima, ſat profunda, fœtentia, acrem ichorem plorantia, quorum plurima habebant labia dura, eroſa, & in multis caro fungoſa excrevit; corpus contabuit; noctes erant inquietæ.

Ultra ſeſqui anni ſpatium remedia ei interne & externe applicabantur maxime egregia, quæ quidem malum ſubinde videbantur levare, verum mox iterum recruduit, & potius auctum fuerat.

Datum tunc fuit ter de die vaſculum infuſi *flammulæ jovis*, ulcera conſperſa ſunt ejusdem herbæ pulvere bis per diem.

Effectus fuit bonus & velox, nam intra breve tempus ulcera facta ſunt pura,

nitida, caro fungoſa conſumebatur, vires redierunt, invaluit appetitus; noctes ſomno tranquillo peragebantur; & ſpatio binorum menſium homo erat adeo perfecte curatus, ut ſervitio ſatis laborioſo ſibi panem iterum promereri potuerit; continuavit tamen hujus infuſi uſum adhuc per plures ſeptimanas, ne mali ullum fermentum ſupereſſet.

CASUS VI.

Fœmina, 20 aliquot annorum, ulcus magnum, annoſum, putridum, carne fungoſa inæqualiter repletum habuit in crure ſiniſtro.

Cum autem protractus optimorum internorum externorumque remediorum uſus nil fere juvaret, tentata fuit *flammula jovis*.

Conſpergebatur ulcus totum pulvere, & datum interne fuit ejuſdem herbæ infuſum.

Pri-

Primis diebus pulvis inſperſus ardorem ſat magnum excitavit, & venulæ carnis luxuriantis hinc inde ſanguinem fundebant.

Poſtea vero pulvis nullum amplius dolorem produxit, ſanies in pus bonum mutata fuit, caro fungoſa ſenſim diſparuit, & ulcus factum eſt planum, purum, inſtar recentiſſimi vulneris, pulcherrime rubicundum.

Idem remedium interne & externe continuabatur, & tandem pulchra cicatrix inducta eſt.

Mirum! quod pulvis recenti & adeo puro ulceri inſperſus nec dolorem amplius excitaverit, nec carnem ſanam exederit!

CASUS VII.

Fœmina, 30 annorum, jam ultra annum tophos venereos in utraque tibia habuit, oſſa circa articulum cubiti dextri intumulerunt in magnam molem; manus non poterat moveri, nec flecti brachium; aderant ulcera mali moris in facie, brachiis, & toto corpore; præterea omnes

artus vehementiſſimo dolore, præſertim nocturno, excruciabantur.

Sub uſu pertinaci remediorum variorum, & laudatiſſimorum in hoc morbo, vires collabebantur, acceſſit macies, nec malum emendatum fuit.

Infuſum *flammulæ jovis* primo tempore ſudorem copioſum noctu elicuit, ægra autem inde per binas ſeptimanas nullum levamen percepit; dein vero dolores paululum imminuti ſunt, tandem ceſſarunt penitus, evanuerunt tophi, conſolidata ſunt ulcera, redierunt vires; ſed immobilitas cubiti dextri & tumor ibi perſtiterunt, & ideo tunc præter infuſum *flammulæ jovis* datum eſt ſulphur auratum antimonii, unde ſenſim brachio mobilitas rediit.

CASUS VIII.

Vir, 50 aliquot annorum, in crure dextro laborat ulcere putrido, ſordidiſſimo, ſerpente, inveterato, magno admo-

modum, & repleto carne fungosa, inæquali.

Inspersus fuit bis quotidie pulvis herbæ *flammulæ jovis.*

Primis diebus dolorem, ardoremque magnum inde sensit æger, qui autem nunquam ultra horæ quadrantem duravit; dein cœpit caro fungosa consumi, & spatio unius & dimidiæ septimanæ ulcus purum fuit, planum, & optimi coloris; pulvis tunc inspersus nullum amplius doloris sensum excitavit, & tandem solo hoc remedio externo cicatrix formata fuit plana, firma.

CASUS IX.

Viro, 40 annorum, ex malo venereo oritur cancer pessimi moris, exulceratus, fungosus in labio oris superioris, nasus obsidetur tuberculis magnis, callosis, dolentibus, quæ sensim quoque sunt exulcerata, & ichor fœtidus & acer exstillavit.

Remedia in lue venerea & ſimilibus malis alias maxime efficacia, huic ægro nullum levamen adtulerunt, & cancer potius extendebatur.

Quare pulvis *flammulæ jovis* cancroſis ulceribus inſperſus fuit, & datum interne infuſum ejusdem herbæ.

In principio æger poſt quamlibet inſperſionem pulveris dolorem ardentem conquerebatur, qui vero poſt pauca minuta iterum ceſſavit.

Spatio binarum ſeptimanarum cancri ulcus in labio purum fuit, nec ulterius ſerpſit, aberat omnis dolor, labia calloſa fundebantur, & poſt unum & dimidium menſem cancer perfecte curatus eſt.

Tubercula autem, quæ naſum occupabant, erant magis pertinacia, & quamvis ibi ulcuſcula cicatrice obducerentur, erat ea levis tantum, & mox iterum rupta acre ſerum ploravit; erat præterea horum tuberculorum durities fere cartilaginea,

ginea, unde ad hæc curanda longiore tempore opus fuit.

CASUS X.

Homo, 20 aliquot annorum, ulcus gangrænofum, fœtidiffimum, & magnum habet verfus malleolum externum in crure finiftro, percipitur fimul offis tibiæ plaga, fatis magna, profunde cariofa.

Data funt, quæcunque in gangrænofis ulceribus laudantur, & quæ alias optimos effectus præftarent; externe applicabantur fortiffima antifeptica; gangrænæ ponebantur quidem limites, ita ut ultra ferpere non potuerit; verum nulla facta eft feparatio, permanfit fœtor, & ulceris fordities, & propullulavit caro luxurians.

Ideo pulvis *flammulæ jovis* bis quotidie huic ulceri applicatus fuit; qui primis diebus leves haimorrhagias, & dolores ardentes, fed momentaneos produxit; mox autem ulcus purius redditum eft,

ichor minus fœtebat, portio oſſis carioſi cœpit vacillare, & caro luxurians conſumi.

Uſu continuato hujus remedii pus bonum fiebat; labia ulceris, alias turgida, inæqualia & fœdiſſimi coloris, detumuerunt, & cutis naturalis formam recuperarunt; demum ſeceſſit magna portio oſſis carioſi, ſenſim formata eſt cicatrix, & ulcus coaluit.

CASUS XI.

Fœmina, 27 annorum, excreſcentiam cancroſam, exulceratam, & admodum extenſam habet in femore ſiniſtro.

Applicatur pulvis *flammulæ jovis* externe, & interne datur infuſum ejusdem herbæ.

Ex uſu pulveris magnum ardorem in principio conquerebatur ægra; infuſum autem urinam copioſe eduxit.

Intra aliquot ſeptimanas plus quam dimidia hujus carcinomatis pars conſumta fuit,

fuit, & aderat pus bonum; noluit autem ægra diutius in nosocomio morari, &, non curata, abiit.

CASUS XII.

Homo, 36 annorum, in dorso manus dextræ habet excrescentiam fungosam, rotundam, tres pollices latam, & ultra unum policem altam, quæ tota fœdissime erat exulcerata.

Inspersus pulvis herbæ *flammulæ jovis* in principio adtraxit copiosissimum & putridum ichorem, ortus est fœtor enormis; sensim dein totam excrescentiam consumsit citra dolorem, & factum est ulcus purum, planissimum, quod usu ejusdem remedii cicatrice obductum fuit.

CASUS XIII.

Juvenis, 17 annorum, scabie annosa, humida laboravit, & cutis in toto fere corpore erat fissa & erosa, dabatur ipsi infusum herbæ *flammulæ jovis*, & corpus

bis

bis quotidie eodem infuſo abluebatur, quo factum eſt, ut intra ſex ſeptimanarum ſpatium ſcabies evanuerit, & eroſiones cutis integre fuerit conſolidatæ; licet alia remedia antehac diu & copioſe adhibita, nil effecerint.

CASUS XIV.

Virgo, 25 annorum, a pluribus annis ulcera copioſa, ſerpentia in collo, facie, & tota capitis parte capillata habuit, hæc autem non erant profunda, verum acerrimum & copioſiſſimum ichorem continuo ſtillabant, & magnum ardorem excitarunt.

Hæc eluebantur bis quotidie infuſo herbæ *flammulæ jovis*, quod & interne datum fuit, quo ſanitas integra ſenſim reſtituebatur.

CASUS XV.

Vir, 63 annorum, ex gonorrhæa venerea male curata doloribus artuum jam a duo-

duodecim annis vexatur; ſumſit infuſum herbæ *flammulæ jovis*, quo dolores artuum remiſerunt, ſed intumuit teſticulus dexter, & valde doluit; applicatis autem cataplaſmatibus emollientiſſimis, datisque purgantibus hicce tumor iterum diſparuit, prodiit per urinam materies puriformis, & arthritis ſiluit.

CASUS XVI.

Vir, 68 annorum, ſimili, ac in priori caſu, malo laborans idem remedium ſumſit, ſed nullum inde levamen percepit, licet ejus uſu urina copioſiſſime mota fuerit.

CASUS XVII.

Virgo, 32 annorum, jam a ſeptem annis dolore capitis vehementiſſimo & fere continuo affligebatur, & debebat ſæpe per plures dies lecto inhærere.

Sumto infuſo florum *flammulæ jovis* mox magnum ſenſit levamen; tandem

dolor

dolor omnis cessavit; & jam per plures septimanas caput liberum est.

CASUS XVIII.

Fœmina, 46 annorum, ulcus annosum, fœtidissimum, putridum, carne fungosa repletum habet in crure dextro.

Applicatur pulvis herbæ *flammulæ jovis*, quo primo die tantus dolor excitatur, ut ægra fere in animi deliquium inciderit; hicce autem dolor fuit tantum momentaneus.

Altero die a pulvere magnus ardor percipiebatur, & ulcus cœpit copiosissimum serum fundere.

Reliquis diebus vix ullam amplius molestiam pulvis adtulit, fluxit ex ulcere copiosus humor, qui in principio multum fœtebat, & erat acris, dein vero caro fungosa sensim imminuta fuit, & ulcus reddebatur purum, labia callosa facta sunt mollia, & tandem cicatrix est inducta.

CA-

CASUS XIX.

Virgo, 32 annorum, excreſcentiam carneam, excoriatam gerit in colli parte anteriore.

Inſpergitur pulvis herbæ *flammulæ jovis*, unde levis ardor oritur, & fluit copioſus ichor primis quatuor diebus; dein vero nullus inde amplius effectus ſequebatur, & malum nec emendatum, nec pejus redditum fuit, licet per aliquot ſeptimanas hoc remedium applicatum fuerit.

CASUS XX.

Juvenis, 20 annorum, glandem penis habet tumidam, totam exulceratam, & fœdam excreſcentiis fungoſis, ſemiputridis.

Pulvis herbæ *flammulæ jovis* inſperſus in principio magnum ardorem & leves haimorrhagias excitavit; dein vero intra aliquot ſeptimanas malum integre curatum fuit ſolo hoc remedio.

CA-

CASUS XXI.

In ulceribus urethræ datum infuſum herbæ *flammulæ jovis*, & leni vi per ſyringam injectum aliquoties profuit.

CASUS XXII.

Puer, 7 annorum, a tribus annis habet tumorem magnum, durum, qui totam articulationem ſuperiorem oſſis femoris dextri occupavit; reddidit femur immobile, & præ dolore continuo puer dormire non potuit, & incepit contabeſcere.

Aderat præterea in inferiore parte hujus tumoris ulcus ſinuoſum, ex quo ichor acer ſemper deſtillavit.

Sumit infuſum herbæ *flammulæ jovis*, & minuitur dolor, decreſcit tumor, advertitur femoris quædam mobilitas, & ichoris loco, prodit pus bonum.

CASUS XXIII.

In cancro peſſimo, exulcerato labii inferioris, applicatur pulvis de *flammula jovis*, & malum quotidie minuitur, ceſſat ſalivatio, quæ hunc ægrum debilitavit, & nullum dubium eſt, fore: ut brevi tempore integra curatio perficiatur.

CASUS XXIV.

Dominus *Rechberger*, chirurgus noſocomii ad *S. Marcum*, in fungoſo, & exulcerato mammæ cancro adhibuit pulverem de *flammula jovis* bono cum ſucceſſu; nam conſumebatur ſine dolore caro fungoſa, & facta eſt cicatrix.

Corollaria.

1^mum^ Herba dicta Veteribus *flammula jovis* tuto poteſt exhiberi ægrotantibus.

2^dum^ Pulvis hujus herbæ externo uſu magnam utilitatem habebit in morbis chirurgicis; etenim excreſcentias fungo-

ſas, & ſubcarneas conſumit, & ulcera ſordida reddit pura, eaque ſenſim curat.

3^{tium} Licet pulvis herbæ *flammulæ jovis* carnes fungoſas conſumat, non tamen rodit carnes vivas ac ſanas, ſed has tegit cuticula; quod mirum videtur.

4^{tum} Hinc pulvis de *flammula jovis* eſt omnibus remediis cauſticis hucuſque uſitatis & cognitis præferendus, ubi caro fungoſa adeſt.

5^{tum} Pulvis de *flammula jovis* ſolus perſæpe curat cancrum exulceratum.

6^{tum} Sæpe curat ulcera maligna.

7^{mum} Non tamen hicce pulvis eſt remedium univerſale in omnibus ulceribus & cancris.

8^{vum} Infuſum *flammulæ jovis* interne datum in diuturnis capitis doloribus eſt quandoque admodum proficuum.

9^{num} Hoc idem infuſum curat ſubinde pertinaciſſimos oſſium dolores, quandoque tollit reliquias a lue venerea, quæ nulli alii remedio cedunt.

10^mum^ Prodeſt quandoque in ſcabie pertinaciſſima, & in ulceribus ichoroſis.

11^mum^ Corrigit varias corporis acrimonias; & in aliquibus ægris promovet urinam, in aliis ſudorem; paucis movet alvum.

12^mum^ Idem effectus habetur, ſi vel pulvis hujus plantæ, vel extractum interne exhibeatur.

13^tium^ Ex tot factis experimentis nil mali unquam obſervatum fuit, nec ulla corporis actio turbabatur ex uſu *flammulæ jovis.*

14^tum^ Pulvis ulceribus inſperſus ſubinde primis diebus magnum ardorem excitat, unde conſultum erit: ſi prima vice pauca tantum quantitas hujus pulveris applicetur; ut obſervari poſſit: an æger inde afficiatur.









CAPUT II.

DE DICTAMNO ALBO.

Dictamnus albus offic.
Dictamnus albus Linn. ſp. pl. *t.* 1. p. 548. edit. 2.
Dictamnus albus Jacquin. Enum. ſtirp. vindob. p. 68.
Dictamnus albus vulgo, ſeu *Fraxinella*. Bauch. pin. 222.
Fraxinella, ſeu *Diptamnum* album off. Dodon. pempt. 348.

Germanis dicitur weißer Diptam. *Gall.* Dictam Blanc. Fraxinelle. *Angl.* Baſtard Dittany. *Bat.* Effen-kruid.

PLANTÆ DESCRIPTIO.

Radix craſſa, digiti tranſverſi craſſitie, varie divaricata, perennis, externe gilva, interne alba, odore hircino, ſapore ex aromatico amaricante prædita, *Caules* emittit cubitales, aut ſeſqui cubitales, firmos, ſubteretes; imitus folio-

liosos, læves, virides, summotenus subnudos, punctatos, scabriores, rubentes. *Folia* circum caulem alternatim emergunt pinnata, composita ex *foliolis* utrinque tribus, aut quatuor cum impari, sublanceolatis, brevissime petiolatis, leviter serratis, firmis, nitidis, pellucido-punctatis, viridissimis. *Flores* aspectu elegantissimi, grave olentes ad caulis fastigium laxe supra invicem digesti *pedunculis* sustentantur alternis, rubentibus, stipulatis. *Calyx* ex *foliolis* quinque parvis, subfusculis, asperis conseritur; *Corollam* vero *petala* componunt quinque, calyce longe majora, patula, inæqualiter sita, ovato-lanceolata, acuminata, unguiculata, pallide rubentia, venulis saturate rubris, liratim dispositis picta. *Stamina* numero decem *filamentis* elongantur subulatis, rubellis, punctatis, declinatis, inæqualibus: *Antheris* flavidis, assurgentibus, tetragonis. *Germen* quinquangulare, receptaculo elevatum *stylum* gerit simplicem, brevem, declinatum,

incurvatum, *stigmate* acuto terminatum. *Pericarpium* succedens ex *capsulis* constat quinque bivalvibus, scabris, margine introrsum coalitis, compressis, acuminatis, *semina* nigra, splendida, ovata, bina intra arillum communem, bivalvem recondita, continentibus J. J. *well.*

Crescit copiose in monte Cetio, nec non in vicinis sylvis montosis, & collibus passim.

Vires hujus herbæ videntur plurimum inesse radici, quæ in pulvere exhibetur; vel paratur inde essentia.

℞. rad. Dictam. albi recentis & minutim scissæ unc. jj.

Spirit. vini purissimi unc xiv.

m. & stent in digestione, donec fiat essentia bene saturata; tempore digestionis agitetur subinde lagenula.

Vinum medicatum ex radice *Dictamni albi* sæpe prodest in chlorosi & retentione menstruorum.

℞. pulv.

℞. pulv. rad. Dictam. alb. unc. j.
Limat. mart. n. rubig. dr. iij.
vin. generoſ. auſt. lib. j.
m. & digere per 24 horas, dein colat. exhibe.

Datur omni bihorio cochleare unum.

CASUS I.

Puer, 10 annorum, per aliquot annos omni tertio quartove die vexatur paroxyſmo epileptico, vehementi valde.

Cauſa mali erat ignota.

Dedi in principio purgans ex radicis jalapæ & ſalis polychreſti aâ granis xx., quo alvus ſæpius mota fuit.

Dein exhibui mane guttas viginti de eſſentia radicis *Dictamni albi*, & totidem circa meridiem, & veſperas.

Primus paroxyſmus, qui poſt uſum hujus remedii tertio die ortus eſt, fuit longe vehementior, quam præcedentes eſſe ſolebant; puer fuit tota die ſenſuum expers, & mater ei moriendum putabat.

Venit altero a paroxyſmo die mater ad me, & acerbe lachrymando triſtem filii ſui caſum mihi enarravit; blandis verbis tunc eam conſolari adniſus ſum, & ſuaſi, ut ter de die præberet triginta guttas ejusdem tincturæ.

Poſt aliquot dies mater iterum retulit, paroxyſmum quidem die quarto rediiſſe, ſed fuiſſe multo mitiorem: juſſi, ut jam eadem doſi continuaret remedii uſum.

Factum dein fuit, ut intervalla paroxyſmorum fuerint longiora, & vis mali ſemper debilior.

Sumſit puer idem remedium, eadem doſi, ſpatio binorum & dimidii menſium; & tunc erat ſanus.

In-

In corpore ſuo nullam a remedio mutationem ſenſit, niſi: quod urina ſub uſu hujus tincturæ copioſiſſime fluxerit.

CASUS II.

Puella, 15 annorum, ultra biennium vehementi epilepſia laborat, & inde quotidie afficitur.

Sumit ter de die guttas triginta de eſſentia ex radice *Dictamni albi*, videtur inde malum minui, & ægra ſubinde per tres, ſubinde per quatuor dies libera eſt a paroxyſmo.

Augebatur tunc remedii doſis; & datæ ſunt guttæ quinquaginta quotidie ter; vires inde pauliſper erigebantur, & ſpes magna erat perfectæ curationis; verum ſubito omnia iterum in pejus mutata ſunt, rediit quotidie paroxyſmus, æque vehemens ac in principio.

CASUS III.

Fœmina, 36 annorum, incidit in pessimam melancholiam, desperabat de æterna salute, & se omni momento a fœdissimis & horrendis spectris ac centenis diabolis rapiendam credebat; noctes erant insomnes, & appetitus deletus; accessit præterea corporis macies, & menstruorum irregularitas.

Tristi hoc in statu per septem menses versabatur; tandem exhibui ipsi ter quotidie guttas quinquaginta tincturæ radicis *Dictamni albi*, copiosa inde urina pellebatur, & post aliquot dies sensit ægra magnum levamen, & per plures horas fuit alacris, & sine omni mentis angustia jucunde colloquebatur cum amicis & prolibus.

Anxietates & mentis perturbationes solummodo per vices redierunt; invaluit appetitus, & noctes fiebant magis tranquillæ.

Da-

Dabantur dein ter quotidie guttæ ſexaginta ejusdem tincturæ, & tunc prorupit copioſiſſimus ſanguinis fluxus ex utero, cui maximum morbi levamen ſupervenit.

Continuatum fuit idem remedium eadem doſi, & nono die ſiſtebatur uteri fluxus, & prodiit iterum urina copioſior; morbus fuit admodum mitis, & vix ſubinde quædam reliquiæ obſervabantur.

Poſt decem dies denuo incepit ſanguis ex utero copioſe ſtillare, & pauliſper inde ægra fuit debilitata; nihilominus in uſu ejusdem remedii pergebatur.

Poſt aliquot dies ceſſavit ſanguinis fluxus, & ægra mentis erat penitus compos, recuperavit vires, bene dormivit, appetiit.

Volui tamen adhuc remedium continuare per aliquot ſeptimanas, ne tam facile malum rediret, verum movebatur inde nimium ſanguis pro uteri vaſa excretoria, & timebam uteri haimorrhagiam, unde abſtinendum credidi.

In-

Interim tamen morbus ſiluit perfecte, & jam ultra octo menſes hæc fœmina optime valet.

CASUS IV.

Puer, 10 annorum, febri tertiana laborat, datur ipſi purgans ex ſale polychreſto & ſyrupo manato; febris inde mitior facta non eſt.

Sumſit dein quotidie ter grana quinque pulveris radicis *Dictamni albi*, cujus uſu intra duodecim dies a febri liberatus fuit.

Ventrem quoque a longo tempore tenſum & magnum habuit, qui eodem remedio (exploſis innumeris flatibus maxime ſonoris & fœtidiſſimis) in ſtatum naturalem redactus fuit.

Diſparuit etiam cachexia, qua puer hicce a multo tempore laboravit.

CASUS V.

Binis adhuc infantibus idem pulvis in febre intermittente profuit.

CASUS VI.

Puella ſex annorum ventrem durum, magnumque geſſit ultra annum, & jam aliquoties alvo excrevit vermes longos, rotundos, & corpus emarciabatur.

Exhibebantur ei ter quotidie grana novem pulveris radicis *Dictamni albi*, unde mox incepit habere meliorem appetitum, plures prodierunt vermes, & ſolo hoc pulvere ſenſim rediit ſanitas.

CASUS VII.

In puero octenni, vermibus laborante, idem remedium tentavi; ſed nil profuit, & alvus inde potius retinebatur, quæ tamen in priori caſu ex hoc pulvere ſæpius mota fuit.

Unde compoſui pulverem ſequentem

℞. Rad. *Dictamni albi* gr. vjj.
rad. jalap. gr. iij.
m. f. pulv.

S. detur per diem ter talis doſis.

Ex

Ex uſu hujus pulveris cœpit prodire per alvum multum gluten tenax, cui involuti erant copioſi parvi vermes, dein excreti ſunt bini lumbrici magni.

Cum autem alvus inde nimium ſolvebatur, datus ſolummodo unus pulvis fuit quotidie.

Quo intra menſis ſpatium puer bene curabatur.

Eundem pulverem dein pluribus bono cum ſucceſſu exhibui, qui vermes in ventre gerebant.

CASUS VIII.

Fœmina, 35 annorum, menſtruo fluxu a binis annis carebat, cauſam rejecit in terrorem, quo affecta fuit tempore menſium, unde ii illico retinebantur.

Adhibuit balnea, & varia remedia emenagoga citra ullum levamen; ſenſit tenſionem continuam in toto hypogaſtrio, & tactu percipiebatur magnus infarctus in ipſo utero & in partibus vicinis.

Ex-

Exhibui tunc mane grana viginti pulveris radicis *Dictamni albi*, & totidem vesperi.

Primis diebus copiosa prodiit urina, & ægra sensit magnum pruritum circa vasa haimorrhoidalia.

Tandem ex utero cœpit prodire mucus viscidus, copiosus, qui in principio subfuscus erat, dein fiebat albus, demum cum hoc muco prodibant striæ sanguineæ; minuebatur tensio, & evanuit omnis infarctus; ægra, antehac tristis & morosa, fiebat hilaris, & alacris.

Pulvere hoc utebatur per sex septimanas, & bene habuit. Sub finem dabatur purgans, atque tunc apparuit fluxus menstruus.

CASUS IX.

Fœmina, 27 annorum fluore albo, jam multum inveterato, laboravit, & conquerebatur de magna & dolenti tensione

in

in toto hypogaſtrio, menſtrua habuit pauca & admodum irregularia.

Sumſit mane grana viginti pulveris radicis *Dictamni albi*, & totidem veſperi.

Mox fluor albus augebatur, & copioſum urinæ ſtillicidium ortum eſt cum moleſto teneſmo.

Poſt aliquot dies ceſſavit teneſmus, manſit autem copioſus fluor albus, & materies fiebat acrior, & eroſit pudendorum labia; ardor inde ortus mitigabatur lacte & aqua tepida, quibus partes affectæ ſæpius ablutæ ſunt.

Continuatum fuit idem remedium, & ſenſim ceſſavit fluor albus, & ægra in hypogaſtrio nullam amplius moleſtiam percepit; menſes autem in meliorem ordinem redigi non potuerunt.

Appendix.

Quæ in aliis opuſculis de *cicuta* notavi, ea ſe confirmant ſemper iteratis experimentis.

Vidi-

Vidimus illam denuo curaſſe cancros mammæ malignos, exulceratos, fœdiſſimos.

In aliquibus curavit podagram; aliis hoc malum longe mitius reddidit.

Solvit ſcirrhos; tollit perſæpe arthriticos & rheumaticos dolores inveteratos; in oculorum affectionibus prodeſt, ſenibus quibusdam viſum conſervat; ſæpius phthiſim ſanavit, & ulcera ſerpentia, rodentia.

Illuſtriſſimus van Swieten, ante aliquot annos ulcus ſinuoſum habuit in pede ſiniſtro; ſymptomata mala ſupervenient a nobis juſtum & magnum metum incuſſerunt.

Nec corticis Peruviani uſus, nec alia remedia ſat efficacia levarunt malum; augebatur quotidie periculum, unde in ſummis rerum anguſtiis adhibita fuit *cicuta*, & mox contigit mutatio in melius, evanuit metus, atque intra decem ſeptimanas *Vir illuſtriſſimus* integre convaluit;

& jam iterum per plures annos bona fruitur ſanitate, & vegeta utitur ſenectute.

An orbi litterato majus beneficium potuiſſem præſtare?

Auguſtiſſimis noſtris, totique *Familiæ cæſareo-regiæ* conſervavi *Virum*, cui ſanitatem ſuam integerrime confidunt; quem amant, quem venerantur.

Ego mihi conſervavi *Patrem*, cui totum, quod ſum, debeo.

Utinam cicuta *Eum* redderet immortalem!

Quod autem ſubinde *cicuta* cito tollat malum alias maxime rebelle; & ſubinde in altero ægro, eodem malo laborante, lentius agat, & vix quidquam mutet, & dein in aliis plane nil efficiat, videtur tribuendum eſſe diverſis ejusdem morbi ſpeciebus, & diverſis ſymptomatibus, quæ ſuperveniunt.

Si ſpecificam morborum genericorum diagnoſim perfecte noviſſemus, facile nobis foret determinare: quo in caſu hoc

vel

vel illud remedium certo & cito prodesset; & quo in casu vel parum vel nihil efficeret.

Quam utiles se præstarent practici! si ad ægrorum lectulos morborum genericorum species & differentias exacte conarentur observare, & docere.

Quæ artem solummodo ornant, sunt minus utilia, & fere superflua; quæ vero ad cognoscendum & curandum morbum faciunt, sunt essentialia & maxime necessaria; nam in his vera medicina versatur.

De extracto *Napelli* seu *aconiti* flore cæruleo quoque adnotare debeo, quod id novis experimentis semper efficacissimum comprobetur.

Solvit potenter; movet transpirationem, & sudorem; prodest sæpe in neglecta lue venerea, arthritide, rheumatismo, podagra, in amaurosi, cataracta, cephalæa, paralysi ubicunque solvens & penetrans remedium requiritur.

Qui loco *Napelli* ſeu *aconiti* flore cæruleo exhibent *aconitum* pallens, ii habent remedium minus efficax.

Extractum *Hyoſciani* & *ſtrammonii* in Epilepſia, convulſionibus, & ſpaſmis, in mania & furore ſæpe optimo cum ſucceſſu adhibetur.

Uſu *colchici autumnalis* multi quoque ex peſſimo hydrope, & aſthmate curantur.

Debet autem acetum colchicum parari ex bulbo recenti & ſucculento, ſi enim is farinoſus eſt, amiſit omnem virtutem.

Si acetum colchicum fortius deſideretur, tunc ſumuntur binæ unciæ recentis bulbi *colchici autumnalis* ad libram unam aceti.

Sex nunc habentur nova medicamenta, quibus ego meo labore, periculo, & meis ſumtibus artem medicam ditiorem reddidi.

Ete-


Etenim demonſtravi multis & iteratis experimentis *cicutam* vulgarem ſeu *conium Maculatum Linnæi*, *aconitum* flore cæruleo, ſeu *Napellum*, *hyoſciamum*, *ſtrammonium*, *colchicum autumnale*, *Flammulam jovis* ſeu *clematitidem erectam Linnæi* eſſe Medicamenta innocua, & ſaluberrima, quamvis ſemper pro ſummis venenis fuerint habita & deſcripta.

His plures reſtitui & in vita conſervavi, qui certo certius interiiſſent miſerrime.

Omnes autem curare & conſervare non videtur eſſe poſſibile.

Interim de iis, quæ feci, mihi gratulor, & gaudeo, atque ſi vires & ſanitas permiſerint, opera mea in ſalutem generis humani diligenter continuabo.

FINIS.






Dictamnus albus Bot: et Offic



Flammula Jovis Offic:
Clematis erecta Linn



Pulsatilla nigricans. Offic.
Anemone pratensis. Linnæi.